

2437 ad Sanctum Gregorium supra Pedem montis AVG.; in Pedemonte al Casal di S. Gregorio sopra il castello MET.

† † †

QVIS · NON · DOLEAT · AVT · QVIS · NON · LVGEAT · SVPER · NOS  
 RERVM HOC TANTVM SCVLVS N · IXCII · DIEB · TRES DVL  
 CES NOS · FILIOS OBTVLISSE DÓ · VE NOBIS · FILII OMNI  
 PIETATE DVLCISSIMI AMANTISSIMI CARISSIMI PISSIMI  
 5 NVNC QVID FACIENTES TANTORVM DOLORVM IGNO  
 RAMVS NISI VESTRO TVMVLO SATISFACTO IDEO  
 QVAE ROGANTES ET DICENTES PER DEVVM VIBVM ET  
 ILLVM DIEM IVDICII NI QVIS HOC INFANTIVM MOLESTET IN  
 TVS MONVMENTVM · HIC REQ<sup>E</sup> · IN · P · IMPORTVNA QVAE  
 10 VI · AN · VIII · MEN · VII · D · XV · DEP · IN PAC · XV · KAL · SEPTEMB ·  
 DVODEC · PC · BASILI V C · IND · PRIMA · HONESTA  
 AN · VI · M · VII · DEP · ID · IVN · XII · PC · SS INDI  
 PRIMA · DECORATVS VIXIT ANN · V · MEN · III DI · XI ·  
 DEP · ID · AVG · XII · PC · SS · IND · PRIMA — SS · TRES  
 15 GERMANI FF · QVI HIC REQVIESCVNT CRISTIANI EFFECT

p. C. 553

Ant. Augustinus cod. Matr. f. 72 eodemque exemplo Ioh. Metellus inter collectanea Octavii Pantagathi cod. Vat. 3391 f. 129 (inde Horatius Ursinus de Taffia cod. Vat. 6036 f. 33 in epistula ad Panvinium data 29 Apr. 1559, auctorem laudans Pantagathum; Marini pap. dipl. p. 286; cf. Rossi inscr. chr. I p. XVIII\*).

Vv. sic dividunt auctores. — 1 ††† praemittit unus Met. — NON LVGEAT superser. apud Aug. et sic Urs., CONSULEAT Aug. Met. — 1. 2 fortasse *super nostrum* (vel *nostrorum*) *hoc*. — pro N·IXCII, cum a XV k. Sept. ad id. Aug. dies numerentur CCCLXI, is numerus videtur reponendus esse. — 9 REQ<sup>E</sup> Met., REQVIESCIT Urs. — IMPORTVNA Met. Urs. — 10 VIX Urs. — DIES·XV Urs. — PACE Urs. — 11 INDI pro IND Urs. — 12 MEN Urs. — IND pro INDI Met. Urs. — 15 ante FF del. est FRATRES apud Aug. — CRISTIANI Met. — EFFECTI Met. Urs.

### LII. SAEPINVM (*Altilia prope Sepino*). *Tribu Voltinia.*

Saepini praeter itineraria (p. 203) et chorographos (Plinius 3, 12, 107; Ptolemaeus 3, 1, 67) meminerunt annales Liviani ad a. u. c. 461, quo oppidum a Romanis duce L. Papirio Cursore expugnatum esse dicitur (Liv. 10, 44. 45). In libro coloniarum p. 237 quod legitur *Sepinum oppidum muro ductum: colonia ab imp. Nerone Claudio est deducta: iter populo debetur ped. L: ager eius in centuriis Augsteis est adsignatus*, id titulo n. 2443 ita refutatur, ut causa quoque erroris intellegatur: scilicet non imp. Nero Cladius, sed Tiberius quo tempore dicebatur Ti. Cladius Nero cum Druso fratre moenia refecit statu rei publicae non mutato. Nam municipii formam Saepinates perpetuo retinuisse tituli complures (n. 2440. 2451. 2452. 2457. 2458. 2474. 2533. 2565) docuerunt, convenientque quod magistratus sunt *quattuorviri* (n. 2465. 2467. 2471. 2472), *praefectus* (n. 2470), *aediles* (n. 2465. 2472), *quaestores* (n. 2471). Ad rem sacram spectant *Augustales* (n. 2439. 2440. 2475—2479), collegium *canoforarum* puellarum (n. 2480), *cultores Flaminiani* (n. 2483), collegium *Larum Marcellini* domesticum omnino (n. 2484). — In tribu Voltinia ut Samnites reliquos ita etiam Saepinates fuisse tituli domestici multi fidem faciunt.

Inserui titulis Saepini repertis non solum eos qui prodierunt in proximis vicis San Giuliano et Cerce piccolo, sed item inventos inter Saepinum et Campobassum in pagis Vinchiaturo Baranello Ferrazzano, maxime ne diverterentur tituli Neratiorum Ferrazzanenses a Saepinatis; nam inter Ligurum rem publicam (ad quam revocavimus titulum n. 1472 repertum Morcone; v. p. 125) et Saepinatum et Bovianensium fines regere nequaquam mihi propositum est, neque improbabile est Neratiorum latifundia tam per Saepinatum agrum quam per Ligurum pertinuisse, quamquam ex tabula alimentaria certa ratione id effici nego (v. ad n. 2456). — Ceterum Ferrazzanenses titulos ediderunt Franciscus DE SANTIS (*notizie istoriche della terra di Ferrazano detta anticamente Ferentino nel Sannio*, ed. 1 Neap. 1694. 12. pp. 48; ed. 2 Neap. 1699. 8. pp. 216; ed. 3 Neap. 1741. 8. pp. 489) et MAFFEIVS (*tre lettere et Mus. Ver. p. 351. 352*) in farragine a Sebastiano Arnolfi sibi missa et male relata ad Herculaneum, de qua exposui vol. X p. 188.

Auctores in Saepinatis titulis hi sunt.

I. Saec. XVI Saepini titulis describendis operam dederunt tres

homines, scilicet is qui scripsit syllogen FILONARDIANAM, a quo habemus n. 2438. 2457; deinde communis auctor SMETII MORILLONII METELLI, qui et ipse eosdem titulos solos vidit; denique is a quo pendent ANTONIVS AVGUSTINVS, PANVINIVS, MANVTIVS in cod. Vat. 5241 p. 487—490, qui solus epistulas de gregibus oviaricis n. 2438 integras descripsit et alia quoque addidit non contempnenda. Protulit tamen sub Saepini elogio tam Saepinates titulos quam Bovianenses, ut qui hoc solo auctore nituntur alteri utri oppido pari iure attribuantur. Denique PAGLIA (v. p. 2) unum epigramma n. 2457 Manutio dedit. Quos finxit LIGORIVS duos, inediti manserunt.

II. Deinde ad finem usque saec. XVIII Saepinates antiquitates nemo curavit, nisi quod A. S. MAZOCCHIVS paucos inde titulos missos habuit. Circa a. demum 1770—1780 archipresbyter Saepinas Liborius ARCARI in commentario ms. *saggio istorico dell' antica nommeno che dell' odierna città di Sepino*, quem ipsum Saepini versavi, inscriptiones Saepinates non indiligerent servato etiam versuum ordine composuit. Inde veniunt quae ediderunt TRVTTA in libro de Allifanis antiquitatibus a. 1776 (v. p. 215), Iosephus Maria GALANTI primum in commentario (quem solum citavi) *descrizione dello stato antico ed attuale del contado di Molise* (Neapoli 1784. 8. vol. I pp. 233; vol. II pp. 95 et 26), deinde in altero *descrizione delle Sicilie* (Neapoli 1790) in appendice vol. IV p. 361—368, GVARINIVS denique in comm. XVII.

III. Nostra aetate et Ludovicus MVCCI parochus Saepinas titulis investigandis operam impedit (eius item excussi de patro oppido commentarios insertos eph. *Poliorama pittoresco* vol. XVII a. 1857 et Cirellii descriptioni regni duarum Siciliarum) et Ambrosius CARABA ut universum Samnum ita Saepinatem quoque agrum felici successu pervestigavit. Ego denique oppidum adii a. 1845 et complures ibi titulos excepti adiutus imprimis Muccii supra dicti et fratrum Giacchiorum sollertia et benevolentia; quorum meorum exemplorum cum pars incidisset in Guarinii manus, eam edidit parum accurate in libello inscripto 'iter vagum anni 1846: mansio I'. Idem Guarinius alibi Saepinata alia publici iuris fecit ab amicis submissa. Denique a. 1876 meo iussu Henricus DRESEL titulos Saepini adhuc prostantes aut recognovit aut descriptsit.